



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CXXVIII. De Vastatione terrae Nattangiae per Dominum Theodoricum  
Marchionem Misnensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Theodoricus de Gattersleben VIII. Mag. Prov. in Prussia.

Frater (a) Theodoricus de Gattersleben. Magister terræ Pruschia octavus prafuit (b) VI. annis. Anno Domini MCCLXXI. Hoc tempore fuit & Marschalcus, Frater Conradus de Tierberg Senior.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Hunc Magistrum ab Hartmanno de Heldringen fuisse in Prussiam missum dicit Auctor Chronici Latine scripti sub Friderico Magistro Prussiae.  
(b) Auctor Chronici Germanici in 4. habet 8. annos. Sed ex collatione Historiae apparet, non posse huic Magistro plures quam sex annos assignari. Vide que diximus ad cap. 129.

CAP. CXXVIII.

De

Vastatione terræ Nattangia per Dominum Theodoricum Marchionem Misnensem.

Anno Domini MCCLXXII. dum videns videret Dominus afflictionem populi sui in Pruschia & jam venisset plenitudo temporis in quo sui voluit misereri, Dominus Theodoricus Marchio, Misnensis filius Illustris Principis Domini Henrici, de quo in bello Pomezanorum (a) superius est præmissum, venit ad terram Pruschia cum multitudine pugnatorum & dum assumptis sibi Magistro & fratribus hostes vellet aggredi, invenit propugnaculum in tractu terræ Nattangia firmatum multis armigeris, qui ingressum dicto Principi prohibebant.

Ff

Sed

*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gener. Ord. Teut.  
Conradus à Tierberg IX. Mag. Prov. in Prussia*

Sed fratres Theodoricus & Guntherus Germani de Regenstein assumptis sibi fratribus & armigeris dictum propugnaculum occisis & captis omnibus destruxerunt. Hoc facto dictus Princeps sequens sacra Patris sui vestigia tanquam leo intrepidus, qui ad nullius pavet occursum, cum exercitu suo processit intrans terram Nattangia, usque ad forum, quod dicitur Cierkin, ubi mansit tribus diebus & noctibus singulis diebus perlustrans Nattangiam incendio & rapina. Tantamque fecit in eis stragem, quod sequenti anno se fidei & fratribus iterum subdiderunt. His itaque sic gestis, idem Dominus Marchio rediit ad partes suas, non tamen sine suorum discrimine; quia de populo suo in prima impugnatione propugnaculi CL. & in vastatione terræ Nattangia L. Viri à Pruthenis ceciderunt interfecti. Hic DEO devotus Princeps præter multa alia beneficia, quæ pro statu terræ Pruschia fratribus impendebat, XXIV. viros nobiles & in armis de familia sua vestiri fecit in Ordine Domus Teutonicæ, & providens eis abundanter in omnibus, quæ ad Religionem & militiam fuerant necessaria reliquit in terra Pruschia.

## ANIMADVERSIO.

(a) Part. III. cap. XIII.

## CAP. CXXIX.

*De*

*Fratre Conrado Magistro Pruschia IX.*

**F**Rater Conradus de Tierburg Senior Magister terræ Pruschia IX. præfuit VII. annis. Anno Domini (\*) MCCLXIV.  
Hic